

Aricia aliquoties ideo quod fuit prima mansio viae Appiae Romam relinquenteribus (Horat. serm. 4, 5, 4; Tacitus hist. 4, 2; Martial. 2, 19, 3, 12, 32, 10; Philostratus Apollon. 5, 43 cf. 4, 36; eodem pertinet Val. Max. 8, 2, 4, ubi narratur damnatio eius, qui equo commodato sibi usque Ariciam ulteriore eius municipii clivo vectus erat, ad quod iudicium respiciunt praeterea Gaius 3, 196 et Gellius 7, 15 et Symmachus ep. 7, 69) et propter alias causas (Colum. 10, 139; Plin. 14, 12, 17, 213, 19, 110, 140, 141; Symmachus rel. 49). Aetate labente splendor Ariciae ea re obscuratus est quod paene in finibus agri Aricini ac paulo plus spatio milliarii ab ipso municipio nata est civitas Albanensis; inde factum est ut Aricia non memoretur in annalibus veteris ecclesiae. Presbyter is, cuius habemus titulum sepulcralem infra n. 2210, num fuerit presbyter ecclesiae Aricinae, valde dubito.

Historiam Ariciae scripsit Emmanuel Lucidi canonicus Aricinus libro edito *Memorie storiche dell' antichissimo municipio ora terra dell' Ariccia e delle sue colonie Genzano e Nemi Romae* 1796. Is quas inscriptiones primus edidit partim habuit ex schedis (n. 2156, 2179), plerasque ipse videtur vidiisse, eas potissimum quas inter annos fere 1789 et 1791 in territorio Aricino fissionibus institutis repperit Despuig; de quibus effissionibus praeterea conferendus est Huebner *Antike Bildwerke in Madrid* p. 292.

Finibus Aricinorum comprehendebatur nemus sacrum Diana, situm id eo fere loco ubi hodie est oppidum Nemi, testibus inscriptione n. 2213 et ipso nomine oppidi quod hodie est. Lacus, cui adiacet Nemi, apud antiquos nomen habuit Speculum Diana teste Servio ad Verg. Aen. 7, 516<sup>1</sup>); et ipsa Aricia a nemore Diana apud poetas appellatur *nemoralis* (Ovid. fast. 6, 59. Lucan. 6, 75. Martial. 13, 19, 1). Dedicavisse *lucum Dianum in nemore Aricino Egerium Laevium Tusculanum dictatorem Latinum pro nomine Latino legebatur apud Catonem libro II originum teste Prisciano<sup>2</sup>*. Ipsum Diana cultum Aricinum postea solito more ab exteris repetiverunt scriptores<sup>3</sup>) alii ab Hippolyto Thesei filio<sup>4</sup>), quem post mortem ab inferis excitatum factum

1) Idem nomen repertum est in titulo territorii Labicani infra edendo hoc: *Af speculu Diane usq(ue) fundo) Clementiano pedatura Proclini pass(us) plus m(inus) mille*, sed ubi de lacu Nemorensi non videtur posse cogitari; cf. de Rossi *bull. municipale* 1 (1873) p. 270 et quae infra ad eum titulum adnotabuntur.

2) Priscianus 4 § 21. 7 § 60: *lucum Dianum in nemore Aricino Egerius Laevius [Baebius al.] Tusculanus dedicavit dictator Latinus, hi populi communiter: Tusculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Coranus, Tiburtis, Pometinus, Ardeatis [Rutulus additur altero loco]*. Desinit Priscianus in eo vocabulo propter quod Catonis verba citaverat; sequebantur sine dubio alia nomina Latinorum populorum non ita pauca. — Egit de fragmento Catoniano accurate et prudenter Lorenz de dictatoribus Latinis et municipalibus (Grim. 1841) p. 24, 30—39. — Ceterum eandem rem tangit Festus p. 145, qui dictatorem nominat Manium Egerium, nec Tusculanum eum fuisse significat sed Aricinum, cum addit: *'a quo multi et clari viri orti sunt, et per multos annos fuerunt, unde et proverbium: Multi Mani Ariciae'* (cf. ad n. 2182). *Egerius* nomen quod dictatori et Festus et Cato tribuunt, sine dubio aliquo modo cohaeret cum Egerio fonte qui fuit in nemore Aricino (Verg. Aen. 7, 763. Ovid. met. 15, 487 seq., fast. 3, 275; Strabo 5, 3, 12 et praeterea Cluver p. 931 seq.).

3) Plena de hac re veterum testimonia composuit Cluverius Ital. antiq. p. 923 seq., quem conferas velim; nam hic tota haec res obiter tantum tangi potest.

4) Ovid. fast. 3, 263. Pausan. 2, 27, 4.

esse Virbiuum voluerunt<sup>5</sup>), qui Virbius apud Aricinos pro numine colebatur<sup>6</sup>; alii ab Oreste. Et illa opinio fortasse ex eo tantum nata est quod a nemore Diana Aricino equi arcebantur (Verg. Aen. 7, 778; Ovid. fast. 3, 266), equi autem mortis causa fuerant Hippolyto; Orestem qui sacra Diana Aricina condidisse voluerunt, id sine dubio secuti sunt, ut explicarent similitudinem quae intercedere videbatur inter mores Scythiae, unde simulacrum Diana ab Oreste raptum esse Graeci tradiderant, et ritus fani Aricini. Nam non solum ut apud Scythes, ita etiam in nemore Aricino olim Diana hostiis humanis sacrificatum esse dicebatur, sed etiam sub imperatoribus mos ibi mansit peregrinus vel certe qui Romanis peregrinus videri deberet, ut sacerdotes Diana crearentur homines infimae condicionis, sed manu valentes, gladiatores potissimum et fugitiivi, eo modo ut is qui sacerdotem depugnando viciisset ipse fieret sacerdos. Pausanias 2, 27, 4: ἔνθα ἄχρι ἐμοῦ μονομαχίας ἀθλον ἦν οἱράσθαι τῇ θεῷ τὸν νικῶντα, ὃ δὲ ἀγῶν ἐλευθέρων μὲν πρόσκειτο οὐδενί, οἰκέταις δὲ ἀποδρᾶσι τοὺς δεσπότας. Strabo 5, 3, 12: καὶ γάρ τι βαρβαρικὸν κρατεῖ καὶ Σκυθικὸν περὶ τὸ ιερὸν ἔθος· καθίσταται γὰρ ιερεὺς ὃ γενηθεὶς αὐτόχειρ τοῦ ιερωμένου πρότερον δραπέτης ἀνήρ· ξυφῆρης οὖν ἔστιν ἀεί, περισκοπῶν τὰς ἐπιθέσεις, ἔτοιμος ἀμύνεσθαι. Cf. Servius ad Verg. Aen. 6, 136. Id quoque mirum est hunc infimae condicionis sacerdotem appellari *regem*. Suet. Cal. 35: *Nemorensi regi, quod multos iam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit*. Ovid. ars amat. 4, 259: *suburbanae templum nemorale Dianae partaque per gladios regna nocente manu*; id. fast. 3, 274: *regna tenent fortes manibus pedibusque fugaces, et perit exemplo postmodo quisque suo*. Valerius Flaccus 2, 305: *soli non mitis Aricia regi*. Statius silv. 3, 1, 55: *profugis cum regibus . . . Aricinum Triviae nemus*. Lucanus 3, 85: *qua sublime nemus, Scythiae qua regna Diana*. Ex inscriptionibus tales sacerdotes non innotuerunt<sup>7</sup>); immo in inscriptione n. 2213 dedicata ipsi Diana Nemorensi Vestae sacerdotes memorantur nulli, magistratus Aricinorum. — Sed quamquam ignobiles erant sacerdotes, ipsum fanum Nemorensis inter nobilissima erat Latii; splendorem eius demonstrat et id quod a. u. 713 pecuniam mutuam ex eo sumpsit Caesar Octavianus (Appian. b. c. 5, 24), et crebra mentio quam eius faciunt tam poetae (vide supra) quam prosae orationis scriptores<sup>8</sup>). — Villam in (agro) Nemorensi aedificavit dictator Caesar, sed mox diruit, teste Suetonio Caes. 46; qua de re cf. infra n. 2225.

Inscriptiones in oppido Nemi descriptas quamquam vere esse Aricinas apparebant ex supra dictis et ex adnotatis ad n. 2213. 2222, tamen seiungere eas ab Aricinis et proprio capite exhibere commodius visum est.

De Genzano oppido vide supra p. 192.

5) Vergil. Aen. 7, 727. Ovid. met. 15, 543: *quique fuisti Hippolytus, nunc idem Virbius esto*.

6) Etiam extra Ariciam in titulo Neapolitano huius corporis vol. X n. 1493 est *flamen Virbialis*.

7) Anaglypho reperto prope Ariciam et inde translato in insulam maiorem Balarium (Hübner, *antike Bildwerke in Madrid* p. 304 n. 772), quod ad eiusmodi sacerdotum dimicationem pertinentis multis visum est, longe aliam rem significari demonstravit O. Jahn *Archäol. Zeitung* 1849 p. 443 seq.

8) Praeter supra citatos Vitruvius 4, 8, 4; Plinius 35, 52, ubi Terentius aliquis Lucanus narratur dedicavisse in nemore Diana picturam munera gladiatori; Tacitus hist. 3, 36; Philostratus Apollon. 4, 36. — Etiam locus Dianae quem memorat Tacitus ann. 12, 8 potest fuisse locus Aricinus.

**2156** tabula marmorea ZOEG. Ariciae LIG. Ariciae apud loci dominum FABR., in aedibus Chigi GIORG. ZOEG. LVC. Ibi frustra quaesivi. — S. I. RAYN. VISC.

DIANAE · AVG ·  
COLLEG · LOTOR ·  
SACR ·  
PRIMIGENIVS · R · P ·  
5 ARICINORVM · SER · ARC ·  
CVRATOR · II · CVM ·  
M · ARRECINO · GELLIANO  
FILIO · CVRATORE · I ·  
D · D

Dianae Aug(ustae) colleg(ii) lotor(um) sacr(um). Primigenius r(ei) p(ublicae) Aricinorum ser(vus) arc(arius), curator (iterum), cum M. Arrecino Gelliano filio, curatore (primum) d(edit) d(edicavit).

Rayner Marucell. A 78, 2 f. 25; Ligorius Neap. lib. 35 p. 194 (ex excerptis ex Ligorio olim Barberinis pendet Spon. miscell. p. 64, qui auctorem tamen non laudat; ex Sponio Donati 233, 1); Doni Marucell. A 188 f. 430, Vat. 7143 f. 44, cui dedit Menestrier; Falconieri inscript. athlet. (1668) p. 24 (inde Gudius ms. 406, 3); Fabretti 435, 49 (inde Vulpi Lat. 7, 225); Giorgi sched. Casanat., qui videt mense Oct. 1720; Zoega ms. p. 7 qui videt mense Nov. 1791; E. Q. Visconti ms. Paris. I f. 127; Lucidi *mem. stor. dell' Ariccia* p. 84 ex Vulpio, p. 231 ex schedis Io. B. Conti Pintj.

3 SACRVM Rayn. — 4 PRIMICENIVS Rayn. Don. (Vat.) Giorg. — 5 SER·ARC] SERVATOR AVGUSTI Lucidi p. 231. — 7 CELLIANO Rayn. — 8 PROCVRATORE Lig. — 9 om. Rayn. Fabr.